RHETORICÆ *COMPENDIUM;*

Cui Subjicitur de *Analyſi*

Tractatiuncula.

AUTHORE

IACOBO KIRKWODO

DUMBARENSI.

Editio Secunda.

Priore caſtigatior; multo-que concinnior.

Fruſtra fit per plura, quod æque commode fieri poteſt per pauciora.

p: D: SR: & N: 15

EDINBURGI, Ex Officina *Georgii Meſman.* 1696

The Priviledge:

At Edinburgh *the third day of* December, 1695.

ANent the Petition given in to the Lords of his Majesties privy Council by Master James Kirkwood Schoolmaster of Kelso, Shewing that, where the Petitioner has with great pains fram'd a new Grammar entituled Grammatica Despanteriana cum nova novi generis glossa, wherein all superfluities are rescinded, defects supplied, abstrusities cleared, errors corrected, and the method amended. As also he has emitted a second edition of his Rhetorick, being very much refin'd to the advantage. Both which Books have been seen by very knowing Persons, and approv'd by them. And being now resolv'd to publish these two Books, which will staud the Petitioner a great deal of expences, but will prove very useful and of publick advantage to the Nation. And therefore humbly craving to the effect underwritten, as the said Petition bears, The said Lords of his Majesties privy Council having considered the above Petition, they hereby give and grant to the Petitioner the sole, and only priviledge of Printing, publishing, importing, or selling of the new Grammar, call'd, Grammatica Despanteriana cum nova novi generis glossa, and a second edition of his Rhetorick, and discharges all Printers, Stationers, Merchants and others whomsoever, to Print, Reprint, Import, sell or disperse within this Kingdom any of the said two Books above mentioned for the space of Nineteen years after the publishing thereof without the licence of the said Mr James Kirkwood, his Heirs, or Assigneys under the penalty of two thousand Merks Scots to be payed by each contraveener, the one half thereof for his Majesties use, and the other half to the said Master James, or his foresaids besides the confiscation of the Books so Printed, imported, sold or dispers't, and making up what loss and dammage the said Master James, and his foresaids may sustain thereby, Extracted by me,

Sic Subscribitur Gilb. Eliot Cls. Sti. Conc.

AMPLISSIMO,

ET

POTENTISSIMO

Rosburgi *Comiti, Domino* Ker *&c.*

MUltis certe nominibus, ſummoque jure ſub tuæ Celſitudinis *clientela in publicum prodit hic Libellus,* Comes Illuſtriſſime, Nobiliſſime. *Omitto, quod ſub Majoribus tuis, Ampliſſimus,*

Clariſſimis q; Viris, Mei, quale ſqualent
fuerint, per multos retro annos tutare
& tranquillam ſemper tranſigebant Q
tam; & ad hunc uſque diem omnes fe
cognati, & affines mei Dumbari, ac
circumcirca, ſub tuo ipſius præſidio &
gunt. Non omittendum tamen, qu
hujus, in quo ipſe dego, ſi non urbe, vi
ſaltem omnium in Scotia longe celeber
mo, & cui ſum præpoſitus ſcholæ, P
tronus ſis munificentiſſimus. Nec ur
tantum, ſed totius fere Teviotiæ regi
nis incolæ, te non tanquam ſuum Reg
lum, ſed tantum non Regem agnoſcu
& colunt. Tui ad hunc locum vel a
ventûs fama ſingulos ſuis excitat ſe
bus. Undique gratulatum concurru
ad tuos ſe pedes projicientes vene
bundi. Et hæ licet dedicationis cau
uon intercederent, ipſa res flagitat,
exoptat. Gravis, magnique momen
cauſa magnum, potentemque poſtul
Patronum. Hæc, de qua hic agitu

inte

lenter Liberales Artes postrema haud
arenſenda; quippe reliquis ſubſerviens.
Quid? Subſerviens Solummodo: Imo
ſingulis adornandis ſummopere condu-
centes. Hæc ſingulas comitatur Artes,
& Scientias, tam illiberales, quam li-
berales; ſine qua inſipidæ, & molles fi-
unt: Singulis inhæret libris; ſingulis
ineſt vocibus, in quacunque extent lin-
gua: Nec libris tantum, ſed & omni
ſermoni, ſive vivâ prolato voce, ſive
ſcriptis, aut typis mandato. Hæc
omni hominum inſervit generi. Quam
Verbi Divini Præconibus; ad exteras
nationes Legatis; juriſconſultis; Cauſi-
dicis, innumeriſque alijs ſit neceſſaria,
quis non videt? Hanc ſciat, oportet, qui
bellum cum cive, aut hoſte gerendum
ſuadeat, aut pacem faciendam conſu-
lat. Hujus præceptis inſtructus innoxi-
um a morte ſæpe defendit amicum; ini-
mici repellit injuriam; cognatos & affi-
nes, notos & ignotos, ad pietatem &

*virtutem ſectandam tantum non impelli*t. *Hujus viribus caſtra, urbes, arces munitiſſimæ ſæpius expugnatæ, ubi ſumma militum virtus, ingentes belli apparatus, & multa machinarum genera parum valebant. Nulli autem hominum generi, belli, ſive pacis tempore, magis competit, quam* Regni *Primatibus. Cum ad maturiorem acceſſeris ætatem (quod ardens opto, &, propitio Deo, ſpero) Clientium, quorum ingens tibi numerus, lites dirimenti hujus artis ſumma erit neceſſitas: Nec minus (quod nullus dubito) in* Dominorum Secreti Concilii *numerum aſcito; vel honorifico aliquo fungenti officio, cujuſmodi eſt illud Avi tui, viri illuſtriſſimi, celeberrimi,* Tweddeliæ *Marchionis, &c. Summi* Scotiæ Cancellarii; *quod magna cum laude, ſummaque animi moderatione, temporibus etiam difficillimis, præſtat. Ex origine habes, ut inter* Dynaſtas *in ſupremo*

tri-

trium Regni Ordinum Conventu assideas Istic imprimis hac arte opus. Quidni & Avum hic imitere, Proregis fungens munere. Nec in bello minori erit usui, quod in Alexandro Magno, Cæsare *aliisque innumeris magnorum exercituum Ducibus compertum habes. Non me latet,* Amplissime Comes, *solenne esse in hujusmodi epistolis Patroni, ejusque Majorum res Domi, foriſque gestas describere. Tanta profecto hic mihi suppetit dicendi materies, ut unde incipiendum, quo progrediendum, non habeam. In tam lato, & profundo Majorum tuorum laudum oceano, si vel nare inciperem, metuendum, ut enatare queam unquam, & certe de* Carthagine *nihil quam pauca dicere præstat.*

Quoad tua, nobilissime adolescens, *preconia, licet abunde queam, nihil tamen hic dicere statuo: Nam,* Adhuc tua messis in herba. *Summa apud omnes de te concepta spes, quam spondere au-*

ausim, te frustraturum nunquam Qua igitur cœpisti, perge in virtutis semita utque Deus Opt Max, te ducat, reducat, incolumemque servet, opto & precor.

Amplitudini tuæ

in omni devotissimus

Ia. Kirkwood.

Calsone 18 *May*
1696.

Benevolo Lectori

S.

PAucisante annis Typographum sæpius rogitabam, ut, quando prioris non daretur copia, secundam. *Rhetoricæ* meæ Editionem in lucem emitteret: Quod se facturum prorsus negabat, ni aliqua in ea fieret commutatio. *Nullum*, dixi, *novi erratum, excepto Typographi unico: Nec est, quod deleam, aadam, vel mutem. Aliquam*, inquit, *fieri oportet: isthuc in omni secunda libri editione adeo trivum, & solenne.*

Quibus persuasus verbis, operi manum admovi legi, relegi; scripsi, rescripsi integrum. Quædam addita, nonnulla resecta, plurima in melius, ni fallor, commutata, & concinnius multo exarata, comperies. Ut unico dicam verbo, operis fere ubiq; novam videas faciem. Non est, quod hic iterum

quo-

quorundam occurram objectionibus: De his satis, superque in prioris editionis ad Lectorem epistola: Nec opus *Rhetoricæ* decantare laudes, summumque illius usum & necessitatem describere. Ista hic, & alibi abunde factum. Reliqua ut silentio transeam commoda, ejus vel mediocris cognitio ad intelligendos abstrusos Authorum locos plurimum confert, *Troporum* præcipue notitia, & quas *Rhetorica* cum *Dialectica* communes Argumentationum *Sedes*, seu *Locos* appellamus; &c. *Adjuncti*, *Subjecti*, *Causa*, &c. (de quibus suis locis) quæ si non immediatè, & directè; Saltem consequenter ad ipsos *Tropos*, & *Figuras* intelligendos mirum in modum conducunt.

Unum est, quod te monitum velim; ne sc. nimium urgeatur, ut pueri, qui linguæ Græcæ prorsus sunt ignari, ad peregrina & barbara hujusmodi vocabula, *Homoioteleuton*, *Paregmenon*, &c. Verbatim respondeant: sufficiat, quod rem ipsam intelligant; & pro Græca Latinam substituant vocem: pro *Prosopopœia*, *Persona fictio*; vel (si placet) ea utantur Figuræ *Periphrasi*, quam illi subjunctam dedimus; v. g. Dicant Authorem absentes, mortuos, vel res inanimatas allo-

qui

qui; aut eos ſe alloquentes introducere. Ideoque & vocem *Græcam*, una cum *Latina*, & utriuſque *Periphraſin* in proprijs ubique locis reperias. Dici enim nequit, quantum fruſtra impendatur temporis, & laboris, obſcuris hiſce memoriæ mandandis, retinendiſque Vocabulis. Quæ autem in uſum jam ſunt recepta, cujuſmodi *Metaphora*, *Metonymia*, *Synecdoche*, ob frequentem apud Authores uſum lippis fere & tonſoribus nota; quin, inquam, hæc memoriæ ſint mandanda; inficias non ibo.

Abs re, ut ſpero, non valde cenſebitur, quod hic innuam, innumera etiam hujuſmodi Vocabula paſſim in *Grammaticis* occurrentia, meram pueris eſſe carnificinam, magnamque in ſtudiis afferre moram. Ut omittam *Aptota*, *Monoptota*, *Diptota*, *Triptota*, *Pentaptota*, *Hexaptota*, *Zeugma*, *Prolozeugma*, *Meſozeugma*, *Hypozeugma*, cum infinitis, aliis, quæ, me puero, in pleriſque imperitabant ſcholis; & nunc tantum non exulant, (de quibus viginti quatuor plus minus ante annos in *Animadverſionibus*, in *Deſpauterium* fuſius a nobis actum) ad uſitatiora pervenio, *Proſtheſin*, *Aphareſin*, *Ephentheſin*, *Syncopen*, *Apo-*

Apocopen, *Paragogen*; per quas vocum initio, medio, aut fini additur, aut demitur litera, aut ſyllaba: v. g. *Retvlit* pro *Retulit*, *Dicier*, pro *Dici*: ipſâ luce meridiana clarius hic fini, illic medio addi. An, quæſo, ignarus cenſendus, cui non occurrit, vel cujus memoriâ excidit Figuræ nomen, per quam, ut loquuntur, iſthuc fit? Nequaquam certe, meo judicio. Sufficit, ſi ſciat vel dicat, vocis medio, vel fini hic addi literam, aut ſyllabam.

Ut tandem finem hiſce imponamus quiſquiliis, ſcias, ex iſtis Vocabulis complura rem ipſam ne innuere quidem: v. g. *Proſthefis*, (i. e. Additio) per quam vocis initio aliquid addi volunt; ut *Gnatus*, pro *Natus* in propria ſua ſignificatione non magis initio, quam medio, aut fini adjungi denotat. In his, & infinitis alijs, *Amiciſſime Lector*, ſuum cuique relinquimus judicium.

RHETORICÆ

Compendium.

Introductio.

Rhetorica, ſeu *Oratoria*, eſt Ars docens bene dicere de re qualibet.

Artes, liberales vel ſerviles.

Liberales, quas liberorum filii docebantur; ut *Logica*, *Rhetorica*, &c.

Serviles, quas ſervi diſcebant; *Textoria*, *Veſtiaria*, &c. quas & *Mechanicas*, appellant.

Rhetorica, naturalis, vel acquiſita; Hanc noſtro acquirimus labore, illa nobis innata; plurimi enim a natura habent, ut prompte loquantur; ſed ubi deficit natura, perficit Ars. De acquiſita nobis hic dicendum.

Bene dicere, eſt prompte, ornate, & appoſite loqui.

Dicere non tantum eſt viva voce aliquid proferre, ſed etiam ſcribere: Hinc abſentes, & mortui per ſua ſcripta bene dicere exiſtimantur.

Oratoris finis, perſuadere.

Officium, argumenta ad perſuadendum idonea excogitare.

Iſthuc, de quo agit, dicitur *Thema*, *Argumentum*, *Subjectum*, *Materia*, vel etiam, ſi in dubium vocetur, *Quæſtio*.

1. *Thema*, vel ſimplex; una ſc. vox; ut, *Angelus*;

vel compositum; *n* integra enunciatio; *Angeli n* *sunt colendi.* Dicas etiam, singularem aliquam enu ciationem simplex esse Thema; *Petrus fuit Apostol* Et copulativam, compositum; *Petrus* & *Paulus fu runt Apostoli.*

2, Speculativum, vel practicum: Hoc in prax reducas, *Hæreticis fid s servanda*: Illud contempla solum licet, *Angeli mundum non fecerunt.*

3 Finitum, vel Infinitum; hoc generale aliqui & indeterminatum; ut *Insidiatorem occidere lice* Illud, singulare, & determinatum; *An Milo jure i zeremit Clodium. qui insidias, struxerit?*

Generale *Thesin*, singulare *Hypothesin*, appellant.

Quodlibet Thema, vel est persona, (*i. e.* Res in telligens;) ut *Homo*: vel Factum; *Aquæ in vinu conversio:* vel Res; *Sol, Luna, Mons, Equus, Canis,* &c

Sunt, qui Equos, Canes, & alia hujusmodi animal propter innatam qnandam sagacitatem *Quasi Person* nuncupant.

Thema tribus tractatur modis.

1. Laudatur, vel vituperatur,
2. Suadetur, vel dissuadetur.
3. Accusatur, vel defenditur.

Hinc tria oriuntur Causarum genera.

1. Demonstrativum; quo laudamus, vel vitupe ramus.

2 Deliberativum, quo suademus vel dissuademus

3 Juridiciale, quo accusamus, vel defendimus

Ad unum ex hisce pertinet, saltem reduci potes quodlibet Thema: diverso tamen respectu ad vari reducas genera; *e. g.* Oratio, in qua pacem laudet ejusq; præ hominum oculis commoda ponas, in genere est Demonstrativo: quod si pacem cum hoste faciendam suadeas, in Deliberativo. Diligenter

Diligenter notandum in quo consistat Quæstionis status; seu, quid sit, de quo controvertitur, præcipue in genere juridiciali; ubi quadruplex habetur; *Conjecturalis*, *Finitivus*, *Qualitatis*, & *Quantitatis*.

1 Conjecturalis, cum quæritur nunquid factum sit, necne: *Num Milo Clodium interemerit?*

2. *Finitivus*, cum de nomine, & definitione movetur Quæstio; e. g. *Fatetur Milo se Clodium occidisse, negat tamen se homicidam, appellandum, aut homicidij esse reum:* Quæstionis ergo status; jure, an injuriâ Clodium interemerit Milo.

3 De facti qualitate inquiritur; bonum, an malum; laudandum, an vituperandum.

4. De illius quantitate quæstionem moveas; *Verum gravius, Adami peccatum vetitum comedisse fructum, an Davidis innocentem occidisse Uriam?*

Quatuor Rhetoricæ partes.

1. Argumenta invenire,
2. Inventa disponere.
3. Dispositta exornare.
4. Exornata pronunciare.

Quæ vulgo sic appellantur, *Inventio*, *Dispositio*, *Elocutio*, *Pronunciatio*. pro *Elocutio* dicerem potius *exornatio*.

His præmissis, quæ restant, in quatuor dividemus libros secundum quatuor *Rhetoricæ* partes,

LIB. I
INVENTIO

ARgumenta ad persuadendum idonea excogitare docet.

Argumentum, artificiale, vel inartificiale.

Artificiale ex sua natura arguit, i. e. veram, &

ſibi innatam perſuadendi habet vim: e. g. Si. equum emere velis, ipſius forma, ætas, magnitudo, aliæque hujuſmodi proprietates naturalem in ſe continent virtutem, quæ te ad emendum alliciat.

Inartificiale dicentis ſolum modo innititur authoritati, nec ullam propriam in ſe habet perſuadendi vim, quanvis revera haud parum ad perſuadendum conducat, ut exemplum modo allatum manifeſtabit. Poſito quod aſtans aliquis amicus, in ejuſmodi rebus gnarus et peritus, equum iſtum magnopere laudet. Quin, in quam, amici opinio, & conſilium magnam habeat perſuadendi vim, negabit nemo, licet ad verum equi valorem nihil prorſus conferant

Argumenta Artificialia

Ex certis quibusdam Argumentationum fontibus quos Rhetores LOCOS appellant, adducuntur.

Loci, *abſoluti* vel *comparati*.

Abſoluti, *conſentanei* vel *diſſentanei*.

Conſentanei, *Cauſa*, *Effectum*, *Subjectum*, *Adjunctum*. *Antecedentia*, *Concomitantia Conſequentia*.

Diſſentanei, *Diverſa*, *Contraria*, *Relata*, *contradicentia*, *Privantia*.

Comparati; *Par*, *Impar*, *Majus*, *Minus*, *Simile*, *diſſimile*.

Cauſa.

Cujus vi res eſt: ſuntque quatuor, *Efficiens*, *Materia*, *Forma*, *Finis*; ex quibus res quælibet creata ſublunaris conficitur: e. g. Clavis hæc, quam manu tenes, fabrum ferrarium tanquam Cauſam efficientem; ferrum, materialem; hanc, quam vides, ſpeciem, vel formalem; ut arcam vel oſtium aperiat, & claudat pro finali habet.

Ex hiſce cauſis duæ internæ dicuntur, ſine quibus res exiſtere non poteſt; *Materia* ſc & *Forma*: totidem externæ

xternæ, *Efficiens* & *Finis*; quoniam absque his res x ſt t: Clavis hæc, mortuo forte fabro, ſupereſt; & plurimæ ſine dubio ſunt, quæ oſtia aperuere nunquam. Nos hanc cum innumeris alijs diſtinctionibus utpote d *Logicam* potius, quam *Rhetoricam* pertinentibus, brevitatis ergo, omittemus. *Efficiens*,

A qua res eſt, ut *Calix*, ab artifice: eſtque.

1. Sola, vel ſocia; hæc plures, illa unam requirit fficientem; ut cum unus vel duo equi currum trahunt.

2. Principalis, vel minus Principalis, ſeu adjuvans; hæc illi ſubſervit; ut milites Duci.

3. Spontanea, vel coacta; hæc ab externo, illa interno agit principio; i. e. illa libere, hæc ex compulſione producit effectum; ſic, *Chriſtus volens pro nobis mortem ſubiit*, Spontanea; at *ſi quis de rupe ab alio præcipitatus interimat prætereuntem*, Coacta dicitur. Ad hanc refer cauſam per accidens; ut, *Si de operarii manu a tecto forte decidat tegula*, in aſtantem.

4. Conſcia, vel inſcia; hæc, cum ignorans quis quid agat, illa e contra.

5. Proxima, vel remota; Pater filii cauſa proxima, avus remota.

Omiſſis aliis diſtinctionibus, pauca ab his eruemus argumenta.

Ab efficiente laudatur poculum, quod ab *Alcimedonte* fabro peritiſſimo factum eſſet, Virg. Ec. 3.

A ſolitaria, ut ſi infinitam Dei potentiam hinc extollas, quod per eam univerſa mundi machina ex nihilo ſit creata.

A Socia, ut ſi *Arcadiæ* apros ob magnitudinem, ſeu ferocitatem ex eo laudares, quod ad illos opprimendos univerſos fere Græciæ proceres convenire oporteret.

A principali Deum laudes, quod omnis boni sit fons & origo, hunc in modum; *Fruges ex terra nascuntur, terra a nubibus rigatur, nubes solis virtute ex mari, lacubus, & fluviis exhalantur, sol hanc a Deo habet virtutem, Deus a nullo, utpote ipsius boni fons, & principium.*

A minus principali vituperes aliquid ex eo, quod non ab experto artifice, sed tyrone factum sit. Hu reducas causam instrumentalem; *Non mirum*, inquias *te suaviter canere, qui egregiam habes fistulam.*

Ab adjuvante sic arguas; *Facile tibi est, quicquid suscipias, præstare, utpote plurimi sunt, qui tibi ferant opem.*

A Spontanea; *Summopere laudandus Jesus Christus qui lubens pro nobis mortem subierit.*

A coacta excuses, qui inficiens, & quasi impulsus quid perpetrarit mali: hinc Æneas suum a Dido discessum excusatum vult. Virg, 6 Æn.

Per sidera juro,
Invitus, Regina tuo de littore cessi:
Sed, me jussa Deûm
Imperijs egere suis.

Huc refer causam *per se*, & *per accidens*, ut siqui ex proposito, & de industria quid perpetret mali grave meretur supplicium; sin forte fortuna, illi excidat, excusandus potius, quam plectendus.

A Conscia; qui sciens; & volens peccat, meritò punitur.

Ab insciâ arguit Apostolus 1 Tim. 1. 13. *Misericordiam sum consecutus, quoniam ignorans feci.*

A proxima; ut si quem laudes, quod propriis quidem egerit viribus, ab alio nec instructus, suasus, aut impulsus.

A remota; Licet, inquias, *ipse non fecerim, consului tamen, & instigavi, ut alius faceret.*

Materia.

Ex qua res fit; Poculum ex ligno, aut argento; estque proxima, aut remota.

Proxima, ex qua res immediate fit; sic corpus humanum ex carne, sanguine, & ossibus constare dicendum.

Remota, ex qua mediate; atque sic ex pulvere fieri dicas; quippe *Adamus* omnium mortalium parens ex pulvere creatus est.

A proxima Ovidius Lib. 2. Met. Solis regiam a materiæ dignitate summopere laudans sic canit;

Cujus ebur nitidum, &c.

Et paulo post Phœbi describens currum ad nauseam fere materiæ excellentiam extollit;

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ; radiorum argenteus ordo.

A remota sic arguas; *Non est, cur superbiat homo; cum non ex argento vel auro, sed ex terræ limo, creaturarum omnium vilissimâ. fit creatus.*

FORMA.

Interna vel externa.

Interna per quam res est; sic rotunditas est globiforma interna.

Externa, aliquid rei extrinsecus superinductum, cujusmodi sunt figuræ, & colores globo insculpti: hæc describit, illa definit, i. e. hæc rei circumstantias, illa essentiam demonstrat. Hac uti sæpe cogimur, illâ nos latente.

Ab interna, vel, si placet, etiam externa *Ovidius* loco superius dicto (2 Met) Solis regiam mirum in modum unico verbo extollit.

Materiam superabat opus. Opus

Opus, i. e. operis forma materiam quamvis argento, auro, ebore, & gemmis pretiosissimis constantem longe antecellebat.

Virgilius etiam Ec. 3 argumentum a forma externa hunc in modum adducit.

In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter?

FINIS,

Ob quam res fit: estque,

Ultimus, vel subordinatus; hinc edimus, ut vivamus, vivimus, ut Deo serviamus: *Deo servire*, finis ultimus; cui *vivere* subordinatur

Ab ultimo sic arguas; *Procul omni dubio homo reliquis præstat animalibus, quippe hæc illi subserviunt.*

Contra, a Subordinato, *Reliqua animalia homine minus digna, utpote quæ illius gratia creentur.*

Effectum seu Causatum,

Quod a quatuor causis resultat; ut, Globus a fabro ipsius efficiente; e ligno seu ferro, materia, per rotunditatem, formam; ut eo forte inter ludendum utamur tanquam fine, existentiam suam recipit.

Effectum tot dici potest modis, quot ipsa efficiens i. e. Aliud causæ solitariæ, sociæ, principalis, minus principalis, &c.

Ab effecto sic arguunt; *Homo non solum rerum acquirit cognitionem; sed & acquisitam conservat.*

Subjectum,

Cui aliquid adjungitur; estque triplex,

1 ad se recipiens, sic vestes, vel arma corpori adhærent.

2 In se recipiens, ut vinum in poculo, equus in stabulo.

3 Occupatum, sic homo, vel mens humana di-

divinæ legis est subjectum, cum de ea cogitat. Item anima omnium rerum scibilium subjectum dicitur, quia in ipsarum cognitione acquirenda versatur. Pariter, homo, divitiarum, pecorum, prædiorum, omniumque, quas possidet, rerum, vel de quibus cogitare possit animus, subjectum dicitur.

A subjecto ad se recipiente hunc in modum arguas; *Vestis splendida nequaquam vituperanda, quando quidem viri etiam pii ea fuerint induti, qualis Aaron, summus Dei pontifex.*

A subjecto in se recipiente hoc adducas argumentum; *Edendi, bibendi, cursitandi, aliæque hujusmodi facultates hominem a brutis non distinguunt; atqui* sublimis ratiocinandi, qua is imbutus, facultas isthuc præstat.

Ab occupato sic arguas; *Homo a brutis plurimum differt, nam is versatur circa res nobilissimas; Deum sc. Angelos, aliisque cœlestia, quæ ad futuram spectant vitam.*

Adjunctum,

Quod alii rei adjungitur estque etiam triplex; sicut subjectum, cui in omni respondet.

1 Receptum ad aliud, seu alii rei adhærens, ut vestis corpori. Hinc *Adhæsionis Adjunctum*, dicitur.

2. Receptum in aliud seu alii rei inhærens; ut vinum in poculo. Quod *Inhæsionis Adjunctum* nuncupatur.

3. Occupans; atque sic, lex divina hominem seu mentem humanam de ea meditantem versat, & occupat.

Obiter notandum, eandem rem diverso respectu, & *subjectum* & *Adjunctum* dici; e. g. Equus in stabulo est Adjunctum, at idem equus ephippii respectu Subjectum.

Ab adjuncto adhæsionis sic arguit Virgilius, *Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis Ingreditur &c* Lib. 6 Æn

Ab inhæsionis sic arguas; *In magnis habendi sunt honore, quos multarum rerum scientia præditos videmus.*

Ab occupantesi; *Est ille gulæ voluptatibus admodum deditus, nam animus semper in patinis.*

Antecedentia

Aliis tempore priora; sic diluculum solis ortu prius. Hinc argue; *Nondum lucet, quia non ortus est Lucifer.*

Concomitantia,

Quæ sunt simul tempore. Hæc non tantum quæ eodem semper exsistunt momento; sed etiam, quæ comites, & quovis modo sunt connexa: atque sic, puer & senex Concomitantia dicuntur, licet hic per multos annos illo prior. Pariter Angeli hominum comites, & custodes habentur; licet hi nuper nati, illi ab ipso mundi initio creati.

Dicas igitur. *Procul omni dubio homo cæteris præstat animalibus, quippe qui angelos habeat custodes & comites.*

Consequentia

Aliis tempore posteriora; sic, solis ortus aurorâ posterior *Lucet*, inquias, *quia ortus est sol.*

Hactenus de locis consentaneis, sequuntur dissentanei. *Diversa*

Sola ratione dissentiunt; i. e. non ita pugnant, quin eidem inesse possint subjecto; ut Pulchritudo & Facundia. hinc Ovidius.

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Contraria

Et ratione & re differunt, i. e. ita dissentiunt, ut eidem nequeant inesse subjecto; ut pulchritudo, &

Dé-

Deformitas; calor & frigus: Nemo enim & formosus & deformis est, si eandem intelligas corporis partem: Æthiops quidem cute niger, dentibus albus.

Hinc firmum eruas argumentum; *Petrus non aegrotat, ergo sanus est non deformis ergo formosus.* Cavendum, ne forte participationis sit medium, *Petrus nigrum capillum non habet; ergo candidum*; non sequitur; quia forte rubrum, vel flavum.

Relata,

Quorum *Esse* est ad aliud referri; vel quæ se mutuo ponunt; ut. herus, & famulus; *Petrus est herus, ergo habet famulum* *Contradicentia*

Contraria negantia, quorum alterum negat in quolibet subjecto; *Homo non homo, Audire, non audire:* hinc inferas, *Si is Dei filius est, qui ejus verbum audit, qui non audit, non est.*

Privantia.

Contraria negantia, quorum alterum in subjecto tantum capaci negat; ut, sanus & æger de homine: hinc firmum eruas argumentum; *Petrus sanus est, ergo non æger.*

Hactenus de locis absolutis, sequuntur comparati.

Paria, seu æqualia

Eandem habent quantitatem; ut duo globi: hinc argue; *Locus iste ejusdem quantitatis corpus prius capiebat; ergo & hoc.* Sed hic cavendum, ne quid insit fallaciæ; *Petrus istum tollere potest globum; ergo & hunc, qui ejusdem est quantitatis:* Non sequitur; quia hic forte ex ferro, ille ligno constat.

Imparia seu inæqualia,

Quæ quantitate differunt, ut major & minor globus: hinc dicas; *Globus hic illo gravior, quippe major.* Huc intelligendum, *cæteris paribus*; si sc. ex eadem sint materia.

MA-

MAJUS,

Cujus quantitas excedit: hinc infer, *Locus hic re... majorem continebat; ergo hanc, qua minor est,*

MINUS,

Cujus quantitas excedit: hinc dicas, *Isthuc tan... quantitatis corpus cap re non potest, utpote minus ma... ceperit.*

SIMILIA

Eandem habent qualitatem; ut duo equi ejusde... coloris: Hinc certum deducas Argumentum; si ab u... ad alterum ob duorum similitudinem valeat conse... quentia; Ut, siquis dicat, *Deus Iacobum servum su... fidelem se invocantem exaudijt; ergo & alios fidel... se invocantes* Impropria forte quibusdam videbitu... hæc similitudo; sequens ergo propria censebitur: *Pos... quod quis quid nigrum amet, ex eo quod nigrum s... omne nigrum amabit.*

DISSIMILIA

Diversam habent qualitatem; Ut, duo pariet... diversi coloris: Hinc dicas; *Herus & famulus plur... mum differunt,* utpote huic servitus, illi obtigit domin... um.

CONJUGATA.

Voces ab eodem primitivo varie deductæ; Ut, *juste, justitia*: hinc dicas; *Si justus haberi velis, juste aga... vel justitiam exerce.*

NOTATIO

Vocis quasi interpretatio; *Homo* ab *humo*: hinc *Homo sum, nihil humani a me alienum puto,* Ter. *Re... ergo regit, Consul consulit.*

DISTRIBUTIO

Totum in partes dividit; Ut, Mundum in Cœlum terram, & mare: hinc a toto ad partes, vel contra *Mundus a Deo creatus; ergo Cœlum, terra, & mare*

vel sic, *Cælum terra & mare a Deo creata, ergo totus mundus.*

Definitio

Declarat, quid res sit; Ut, *Homo est animal rationale.* Quidam addunt *Religiosum*, ut differat a cane, equo; & quibusdam alijs animalibus, ratione, ut videtur, præditis.

Definitio est perfecta, ipsam rei essentiam demonstrans, qualis hæc de homine modo allata; vel imperfecta, rei proprietates & circumstantias describens; hinc *Descriptio* nuncupatur: Sic igitur hominem definias, vel potius describas; *Animal implume bipes*; aut canit Ovidius.

Os homini sublime dedit, cælumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Argumentum inartificiale

Nullam propriam & veram in se habet persuadendi vim, nisi quam ab artificiali mutuatur, de quo superius.

Estque Testimonium divinum. vel humanum.

Divinum, apud *Christianos*, Dei verbum seu sacræ literæ; Apud *Ethnicos* Deorum Oracula, & Vatum responsa.

Humanum, hominem habet Authorem; estque commune, vel proprium:

Commune, quod omnes, vel plerique saltem asserunt, cujusmodi sunt illustres sententiæ, & jura gentium; Ut, *Vim vi repellere licet, Legati & feciales nequaquam violandi.*

Proprium unius hominis, vel saltem paucorum assertio: estque scriptum, vel non scriptum; hoc a vulgari fama, illud e doctissimorum scriptis habeas.

Utrumque mortuorum vel vivorum: mortui antiqui, vel moderni.

Postremo vel simplex assertio, aut juramentum.

Juramentum vel fit libere, cum sponte quis fateatur, vel coactum; si tormentis extorqueatur.

A divino Testimonio, i. e. a Dei verbo Argumentum est firmissimum; Ut, si dicas: *Hoc asserunt Moses; testantur Prophetæ & Apostoli, ergo verum.*

Non item a Deorum oraculis, & Vatum responsis. Apollinis oraculo Christianis non fidendum.

Testimonium humanum incertum, alia tamen alio certiora.

Quod omnes, vel plerique asserunt, fortius argui quam quod pauci. Hoc intelligendum, *Cæteris paribus*: nam quod a paucis sapientibus & doctis viris affirmatur, pluris habendum, quam quod a multis ignaris, illiteratis: Et quod pij asserunt, magis fidendum, quam quod impij.

Item jusjurandum firmius habetur, quam simplex assertio; *Cæteris paribus*.

Postremo, quod sponte, & libere quis dicit, firmius est, quam quod tormentis extorquetur, quoniam, cui tormenta pati non potest, mentitur forsan, ut cruciatu liberetur.

Hactenus de Locis *Dialecticæ* simul & *Rhetoricæ* communibus; sequuntur, *Rhetoricæ* proprii.

Argumentorum Loci Rhetoricæ proprij

Sunt, cum adducuntur argumenta, ab *Honesto*, *Inhonesto*, *Utili*, *Inutili*, *Jucundo*, *Injucundo*, *Facili*, *Difficili*, *Possibili*, *Impossibili*, alijsque sub ijs comprehensis; Ut, sub *Honesto Justum*, *Pium*, *Gloriosum*, &c. Quomodo ab his eruenda sint argumenta, ex sequentibus patebit.

Obiter notandum singula argumenta eidem Themati nequaquam subservire: Quædam enim Demonstrativa

rativo, alia Deliberativo, aut judiciali inserviunt. Nec eidem Causarum generi omne quadrat Argumentum: ex multis igitur præsenti Themati aptissima eligenda.

Electio,

Cum ex multis Argumentis ea solum, quæ ad præsens præcipue faciunt institutum, adducimus.

Generi Demonstrativo inservientia,

Perpendendum hic, num Subjectum sit persona, factum, an Res: si Persona; Deus est, Angelus, vel Homo.

Quomodo Deus laudandus.

Est quidem immensus, & infinite supra conceptus, tamen laudes nostras; more tamen humano Deum celebres a Majestate, quod sit æternus; ab æternitate, quod infinite felix; ab operibus, quod universi mundi machinam verbo crearit: summam ejus extollas potentiam, quod omnia nutu gubernet, & regat; justitiam, & bonitatem, quod scelestos puniat, & bonos muneribus afficiat.

Quomodo Angeli laudandi.

A natura, quod sint Spiritus; ab Adjunctis, a. Intellectu, Voluntate Sanctissimis affectibus, potentia, agilitate: ab officio, quod Dei sint legati, & ministri: summa gloria, & felicitate, qua apud Deum fruuntur. Spiritus mali vituperentur, quod Dei abusi fuerint bonitate; quod malignis & impuris sint affectibus; quod generi humano moliantur interitum felicitatemque invideant.

Quomodo Homo laudandus.

Isthuc fit in genere, vel particulari.

In genere, quod secundum ipsius Dei imaginem sit creatus, rationali præditus anima; quod in reliquas creaturas habeat Dominium; quod is solus Deum colat, ejusque nomen laudibus efferat.

In particulari duplex laudandi methodus; naturalis & artificialis: atque quia frequens illius est usus, præcipue in orationibus *panegyricis*, paulo fusius agemus; quam possimus tamen pauciſſimis.

Naturalis laudandi methodus.

Laudatur homo in particulari vulgo percurrendo omnes ætatis gradus, seu singulas vitæ partes, unicuique studijs, exercitijs, moribus, & virtutibus partes istas concomitantibus.

Tria hic consideranda tempora

1. Isthuc, quod vitam antecesserit.
2. Quo quis vixerit.
3. Quod est post hominis mortem; modo is cujus celebras laudes, satis jam concesserit.

In primo consideratur patria, genus augurria, fa prædictiones, si quæ nativitatem præcesserint

In secundo, quod præcipuum est; *Nam quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco*; ait Ovidius 13 Met

1. Annus, mensis, Dies. vel etiam hora, si quid in ijs notatu dignum eveniat: ut si forte die sacro, aut festo natus; quod apud *Ethnicos* sæpe observatur

2. Locus; in qua natione, aut civitate; num *Græcus* an *Barbarus*; *Italus*, an *Pœnus*; *Christianus* an *Ethnicus*

3. Si quid in ipsis cunis notabile contingat, qua fuit, quod *Platoni* accidisse ferunt, cujus ori apes mel infudisse volunt in futuræ facundiæ præsagium.

4. In pueritia considerari solet educatio; ubi parentum, & præceptorum cura non omittenda; præcipue illius, de quo fit sermo, diligentia in studiis proponenda; quod coævos & æquales omnes superarit; Saltem nulli non æqualis exstiterit; quod parentibus, & præceptori morem ubique gesserit. supra omnia vero, si in puerilibus annis futuræ vitæ memor, Dominum timorem præ oculis semper habuerit

5 Perpendendum, quæ in virili fecerit ætate: atque hic primum obtinet locum perſonæ erga Deum *pietas*; ſecundum virtutes, *Prudentia* ſc. *Temperantia*, *Fortitudo*, *juſtitia*, &c Quibus addas res præclare geſtas, belli, ſive pacis tempore: tertium ſibi vendicant eximia in ſcientiis & artibus cognitio, ſingularis in Patriam amor, ſummus in amicos, & cognatos affectus, ardens omnibus benefaciendi ſtudium; quod de cunctis optime ſit meritus quod plurimos pararit amicos, ingentes opes, & divitias; quod magnam rerum partem in pauperes, alioſque pios uſus erogarit: Hic obiter dicas, quos habeat liberos; quanta cum cura bonis moribus inſtituendos laboret. Poſtremum obtineant locum egregiæ animi, & corporis dotes; quod ſc. acuto ſit præditus ingenio, felici memoria, corpore robuſto, ſtudiis, & laboribus ſubeundis idoneo; vultu decoro, ſtatura juſta, &c.

6 De morte agendum; ubi de tempore, cauſa, genere dicas, quod ſc. pro patria fortiter pugnans occubuerit.

7 De ſepultura, & pompa funebri, de amicorum & notorum luctu dicendum: *Sine dubio* inquias, *hic ſumma dignus fuit laude, quippe qui ab omnibus tantopere lugeatur, tantoque afficiatur honore.*

Quod ſi is, de quo agitur, quibuſdam ex hiſce virtutibus, & donis, ſupra nominatis, imbutus non ſit: ſi forte ex obſcura ortus ſit familia, animi vel corporis donis non uſquequaque ornatus; memoriâ infirmâ, ingenio parum acuto &c. Dicas tamen non obſtare, quo minus ſummis extollendus ſit laudibus.

E contra hinc laudandi arripias anſam: *Licet* inquias, *memoriam habeat minus tenacem, ingenium non adeo acutum, corpus ſtudiis & laboribus minime æptum,*

magnam tamen multarum rerum assecutus est cognitionem. Vel sic: *Quanvis ex obscuris ortus sit parentibus adeo ut penes ipsos non fuerit ob rei familiaris inopiam publice instituendum curare, dici tamen nequit, quantum in studiis proprio marte fecerit progressum.*

Artificialis laudandi methodus,

Quæ temporis rationem non servans personæ virtutes, seu dona in Animi, Corporis, & Fortunæ bona dividit, atque sic percurrit omnes animi, corporis & fortunæ dotes; saltem ad præsens institutum maxime facientes.

Vituperandi Methodus.

Ex hisce, quæ in personæ laudem dicta sunt, faci colligas, quæ in vituperium dici possunt; quod ex obscuris ortus sit parentibus, nefasto & infeli natus die, aut hora; quod in ipsa pueritia plurima nequitiæ ostenderit signa, parentibus & præceptori inmorigerus semper fuerit; in studiis parum fecerit progressus: cum ad virilem aceesserit ætatem, flagitiosissimus exstiterit: quod denique mortem obierit ignominiosam, nec ab ullo desideratus.

Et Detur, quod quædam laude digna in eo reperia hinc tamen vituperandi habeas occasionem: Posito quod honesto sit natus loco; dicas tamen eum parentibus magno esse dedecori Dato; quod acutum habeat ingenium, felicem memoriam, corpus robustum, &c. Regeras, eum hisce, tum corporis tum animi dotibus abusum, quod corporis robore honestos oppresserit, & male multarit; ingenii acumine minus cautis impositerit, fortunæ bonis non in pauperum levamen, sed alendis pravis vitiis, & impiis cupiditatibus usus fuerit.

Amplificatio.

Cum ad augendam personæ laudem argumentis ab his & similibus circumstantiis deductis utimur; 1 quod quis quid fecerit Primus. 2 Solus. 3 Cum paucis. 4. Fuerit præcipuus 5 Opportuno tempore. 6. Crebro. 7. Virtutis, non præmij gratiâ. 8. Summo cum vitæ periculo. 9. A collatione cum aliorum factis, non æque splendidis, &c.

Quod si vituperare velis, contrariis utere: 1. Quod non primus. 2. Non solus. 3. Cum multis. 4. Non præcipuus. 5. Non opportuno tempore. 6. Raro. 7. Præmii, non virtutis causâ. 8. Nullo cum vitæ periculo. 9. A collatione cum aliorum factis magis inclytis.

Facta Laudanda

Ab *honesto, utili, jucundo, necessario*, &c. Ut si sacra ædis, xenodochii, pontis, fontis ædificationem, vel pecuniæ in pauperum levamen alioſque pios usus erogationem, collaudes.

Si vituperes, a contrariis deducas; *Inhonesto*, &c. Si pium sit sacram ædem condere, & miseris succurrere; impium certe diruere, & opprimere.

Quomodo res laudandæ.

Sunt hæ fere innumeræ, nec ad certas facile reducendæ classes: præcipue autem sunt bruta animalia, regiones, urbes, ædificia, agri, fluvij, fontes; de quibus solummodo hic agemus, idque quam pauciſſimis.

Equus, Canis Bos, &c. laudantur a forma, natalibus, effectibus, aliiſque hujuſmodi proprietatibus.

Num vero pretium (vile, an magnum) ad veram rei laudem quid conferat, judicent alij.

Regio a regiminis antiquitate, Regibus, Rectoribus, primis cultoribus, ſitus amœnitate, cœli & ſoli natura, Huc referantur Fertilitas, Maria, Flumina, Fon-

Fontes, Montes, Silvæ, Metalla: addantur etiam multæ & magnæ civitates, earumque potentia, Robur, Divitiæ, imperij genus, incolarum divini cultus, mores, ſtudia, virtus bellica, &c.

Urbs a conditoribus, legiſlatoribus, antiquitate, ſitu, multis, & præclaris ædificijs, caſtellis, munimentis, porticibus, fontibus, templis, ſcholis, theatris thermis, ſtatuis plateis: ab ipſis incolis, ſc. numero, moribus, ſtudijs divitijs potentia. Item, quod ipſius ſitus cum alijs urbibus, aut nationibus commercio ſit idoneus; quod mari aut flumine alluatur; quod agri circumjacentes ſint fertiles, hortos habeat amœnos & fructiferos.

Ædificium a ſitu, proſpectu, forma, materia, magnitudine, cubiculis, fontibus, hortis, cæteriſque rei familiari neceſſarijs.

Academia, ſeu Collegium etiam a ſitu, ſtructura magnificentia, bibliotheca, legibus ad promovenda ſtudia maxime conducentibus: ab ipſis Doctoribus, ſive numerum ſpectes, ſive pietatem, & rerum, quas docent ſcientiam, informandæq; juventutis facultatem. Item a ſufficiente omnium rerum ad vitæ uſum neceſſariarum copia.

Ager a feracitate, fructus bonitate. &c.

Fluvius ab ortu, curſu, colore, amplitudine, piſcibus &c.

Fons a perenni aquarum ſcaturigine, ſalubritate, dulcedine, limpiditate, Fons erat illimis, Ovid.

Si hæc vituperes contrarijs utere argumentis.

In genere Deliberativo argumenta petenda.

Ab *honeſto inhoneſto jucundo, injucundo, utili inutili, facili, difficili, poſſibili, impoſſibili, neceſſario, non neceſſario*, &c.

Ab *honeſto*; ut, ſi; quæ ſuadeas, in viri probi honorem, aut pauperum levamen tendunt.

Ab *Utili*, ſi in rei-publicæ commodum; aut ejus,

cui

cui consulis bonum cedant. Si dissuadeas, contrarijs, utendum. *In genere juridiciali.*

Considerandum quis sit Quæstionis status: si conjecturalis argumenta petas.

1. A potentia & occasione nocendi; *Nocere potuit, occasionem habuit; ergo fecit.* E contrario arguit Venus apud Virg. 1 .En,

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere ?

2. A voluntate, seu faciendi cupiditate; Ut, si quem injuriam intulisse probes ex eo, quod inferre cupierit, Quod argumentum cum priore conjunctum adversarium haud leviter pungit.

3. A signis antecedentibus, concomitantibus, vel subsequentibus; Ut, si quem dicas homicidium patrasse ex eo, quod strictum habuerit gladium manus, aut vestes cruore aspersas. Hinc optime arguit Davus apud Ter. a signo antecedente, vel, si placet, concomitante; *Solitudo*, inquit, *ante ostium; ergo nullæ nuptiæ.*

4. A testimoniis; vulgare enim hic, aliis deficientibus argumentis, testes adducere.

Si finitivus; a criminis definitione arguendum; *Violavit hic fidem, quia promissis non stetit.*

Si qualitatis status; a facti natura, & qualitate adducas argumenta; Ut, si quid impium esse ostendas; quia factum contra Dei & naturæ leges; contra gentis consuetudinem: contra pactum, promissum, fidem, &c. Exemplo sit cædes ista a Simeone & Levi patrata Gen. 34. 25.

Si quantitatis; expendas facti circumstantias atrocem vel levem reddentes injuriam.

1. Si ob leves fiat causas.

2. Magnum afferat detrimentum.

3. Sit

3, Sit contra meritum, fidem, jusjurandum, &c.
4. Noxius fecerit solus, cum paucis, primus, crebro, malo animo. sobrius, præmeditatus, &c.

Hæc sufficiant de Argumentis rationalibus, seu a ratione deductis, quæ a Græcis λογοι i. e *Rationes* appellantur; sequuntur ab Affectibus & Moribus petita, quæ παθη & ηθη nuncupantur.

De *Affectibus*,

Quatenus ad persuadendum conducunt

Qui oratoris officium præstare velit, non solum rationes, seu argumenta ex rebus deducta in medium adferre debet; sed præcipuum ejus munus est, auditoram movere affectus; ea enim hominis natura, ut non minus affectu, quam ratione ducatur. Nec aurea hæc *Cæsaris* apud *Salustium* obstat sententia; *Qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.* Isthic de affectibus agitur, quatenus mentis pervertunt judicium, rationisque impediunt usum: Deus tamen, qui frustra nihil fecit unquam, animis nostris indidit affectus, ut nobis essent, velut stimuli ad honestas actiones; quod fit cum rationi sint consentanei.

Plena affectuum tractatio ad *Ethicam* referenda: vulgo ad quatuor reducuntur capita, *Gaudium*, *Spem*, *Dolorem*, & *Metum*; quæ uno in Versu sic exprimit Virgilius;

Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque vicissim.

Planius (fere dixerim suavius) canit *Boet.*

Gaudia pelle;	*Nubila mens est,*
Pelle timorem;	*Vinctaque frœnis,*
Spemque fugato;	*Hæc ubi regnant.*
Nec dolor adsit;	

Gaudium, seu *Lætitia* fit ratione præsentis boni; *spes futuri;*

futuri; *Dolor* præsentis mali; *Timor* futuri.

Omissa hac affectuum distinctione, de sequentibus, quatenus ad præsens faciunt institutum, paucis agemus

Lætitia

In auditorum animis oritur, si fælicem ipsorum conditionem præ oculis ponas; Ut, si lætum afferas nuncium; *Superatum esse hostem: servo concessam libertatem.*

Quod si auditoris conditio non sit usque adeo fælix cum aliorum miserrima conferas; licet enim simpliciter fælix non sit, comparatè beatus apparebit,

Tristitia

Gignitur, si amissa enumerentur bona; ut si dicas, ex morte alicujus præstantis viri remp. magnum sustinuisse damnum,

Gratia seu *Favor*

Conciliatur vel erga teipsum, vel alios, si beneficia in te aut alios collata grato agnoscas animo: illustre hujus rei apud Virg. Æn. 1 habemus exemplum in illa Trojanorum ad Didonem oratione.

O sola infandos Trojæ miserata labores,
Qua nos, relliquias Danaum, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias!

Metus

Auditorum incutitur animis, si ob oculos ponatur maximum, & imminens malum; *Bellum grave & periculosum a duobus Regibus potentissimis infertur, Mithridate & Tigrane*, Cic.

Fiducia seu *Spes*

Paratur, si ostendas, te vel alium in simili evasisse periculo; & eo fortius, si dicas te in majore versatum esse; quod optime a Virgilio factum vides

O passi

O passi graviora! Dabit Deus his quoque finem.

Ira.

Excitatur; si ostenderis magnam illatam esse injuriam; quam exaggeres ex illius, cui infertur, innocentia, virtute dignitate. &c. Vel, ex lædentis vitiis vel, quod malo in posterum sit exemplo; vel denique si ob oculos ponas aliquod illatæ injuriæ signum; quale illud Antonii, quo Cæsaris vestem gladiis perforatam civibus ostendit.

Lenitas

Comparatur, vel (quod eodem redit) sedatur ira ostendendo nullam, vel saltem perexiguam illatam esse injuriam; vel malo animo, aut ex contemtu non factam sed casu excidisse, dum reus forte minus fuerit sobrius vel ad iustam provocatus iram; & jam delicti magnopere pœnitere. Vel denique dicas, priora beneficia præsente injuriâ longe esse majora: *Multa ex quo fueris commoda, ejus incommoda æquum est ferre*, Ter. Apud multos ingenua delicti confessio longe pluris habetur quam multa excusationum millia. Excusationes haud raro delictum augent, & exaggerant; tam longe abest ut sedent, & leniant.

Causa patrocinio non bona major erit, Ovid.

Egregium apud Ter. Act. 3. sc. 5 An exstat exemplum. Pamphilius ait Davo; *Annon dixi hoc futurum?* Dixti, respondet Davus. *Scelus*, inquit Pamphilus, *quid meritus es?* Crucem, *replicat alter*. Quæ ingenua Davi confessio plurimum ad sedandam Pamphili iram valebat; generosa enim mens, quæ nihil præter gloriam appetit, ut plurimum conquiescit si, qui offendit, supplex se demittat: hinc Ovidius.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

At viles animæ iram non remittunt, nisi par, vel majus retribuant malum. *Amor*

Eodem comparatur modo, quo *Gratia*, seu *favor* de quo superius. *Odium* ex contrario nascitur.

De moribus,

Quatenus ad persuadendum conducunt.

Mores sunt Oratoris, vel Auditoris: in Oratore requiruntur, *Probitas*, *Prudentia*, & *Benevolentia*. Ni probus æstimetur, quotusquisque illi fidem habebit? Quis salubre expectet consilium ab improbo? Et, nisi prudentem putes, vix ac ne vix quidem illi credideris. Postremo, ni benevolum æstimes, frustra argumentis etiam validissimis utitur: Malevolentiæ suspicio præjudicium parit.

Quis dicat, considerare etiam oportet, puer, an senex; dives, an pauper; nobilis, an ignobilis; herus, an servus.

Intererit multum. Davusne loquatur, an Heros. Hor.

Auditoris mores.

Prudentis oratoris est bene perpendere apud quos dicat, variant enim Auditorum mores, sive hominum naturas, & indoles, sive ætatis gradus, & fortunæ conditiones consideres. Alii feroci & iracunda, alii miti & placida indole: Alii honoris & gloriæ, alii divitiarum cupidi: quidam fortes, alii ignavi, quidam juvenes, alii senes: quidam denique nobiles, ignobiles, divites, pauperes, felices, infelices. &c. Apud quos eadem non valent argumenta, sed singulorum affectus, animique ad hoc, vel illud propensio vitæque conditio animadvertenda. Illustre hujus rei apud. *Curt.* lib. 3. in *Alexandro Magno* habemus exemplum; ubi variâ oratione, prout cujusque gentis animis aptum erat, milites alloquitur. *Illyricos & Thraces*

rapto vivere assuetos. opum & divitiarum ostentatio ne ad pugnam accendit, *Macedones*, multarum *Europa*, victoriarum mentione ad *Asiam* subigendam excitat; *Græcos* admonet ab iis gentibus, contra quas pugnaturi erant, bella ipsis fuisse illata, atque hinc animum addit, ut veteres ulciscantur injurias.

Complures aliæ circumstantiæ Oratori perit restant perpendendæ, cujusmodi, dicendi tempus & locus. frustra apud hominem furibundum & insa no similem verba proferas, donec illius defervesc ira, & ad sanam redeat mentem. Nec cujusquam in genium. & indoles patitur, ut delicti coram, & pu lice arguatur.

LIB. 2.

DISPOSITIO

Idonea orationis partium ad persuadendum co locatio.

Partes sex, *Exordium*, *Propositio*, *Partitio*, Co *firmatio*, *Confutatio*, *Peroratio*, seu *Epilogus*: hi vulgaris Versiculus.

Exorsus, narro, seco, firmo, resuto, peroro.

Exordium

Attentum & benevolum reddit auditorem.

Petitur ab ipso forte oratore, auditore, subject loco, tempore, aut simili aliqua circumstantia.

Ab oratore, ut si dicas te ingenii tenuitate labor re, ideoque coram viris literatis verba facere min idoneum.

Ab auditore, si ipsius in te beneficia memores, at hinc benevolentiam & attentionem captes.

A subjecto; si de rebus magnis, novis, jucund utilibus dicturum te promittas, ut apud Virg. apibus.

Pr

Protenus aeriis mellis cœlestia dona
Exequar. Et paulo post:
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, & studia & populos & prælia dicam.

Si certo scias attentos, & benevolos fore auditores, Exordio vix erit opus: quo si utaris, breve sit, & appositum; nec nimis magnificum, sed modestum, quippe in reliquis orationis partibus stilo assurgendum.

Propositio

Rem, de qua sumus dicturi, proponit: quod paucis, & perspicuis vocibus fieri debet.

Partitio

Thema in partes dividit, si sit multiplex; ut apud Cic. pro lege Manil. *Primum mihi videtur de genere belli, deinde magnitudine, tum de Imperatore eligendo dicendum.* A partitione, si commode fieri possit, abstinendum: si in partes dividas, ne plures sint tribus; ad summum quatuor. *Dichotomia*, i. e. in duas partes divisio, commodissima habetur.

Confirmatio

Ea est orationis pars, qua sententiam nostram argumentis confirmamus. Validiora in principio, & fine locanda; infirmiora in medio; ni forte ab his abstinere malis. Noli nimia adducere, ne causam reddas infirmam, aut saltem suspectam, utpote tot indigentem subsidiis.

Confutatio

Adversarii objectiones diluit; quod vulgo fit;

1. Ostendendo falsam esse consequentiam; ut, si quis dicat, *Milonem homicidam esse; quia Clodium interemit*, regeras, *non sequi, quippe jure fecit.*

2 Retorquendo dicat forte quis; *Interfecto as-*

bas, ergo interfecisti Quia. inquias, *aliabam. id non interfeci, interfectores enim aufugiunt.*

Infirm ora argumenta prius dilui ſolent.

Epilogus

Totius orationis concluſio. Hic reſumi ſolet unum aut alterum ex præcipuis argnmentis; non tamen iiſdem prorſus verbis, ne nauſeam creet repetita cramb

In Epilogo præſertim, omnes ſuos nervos intende oportet oratorem, & eloquentiæ aperire quaſi fo tes, ut auditorum affectus ad ſuam alliciat ſente tiam, quod non tam verbis, quam lacrimis a *Cic rone*, pro *Milone* factum videmus: Sed *finis ſit*, i quit, *neque enim præ lacrimis jam loqui poſſum.* alibi ſic concludit *jam indicat tot hominu fletus, quam ſis charus tuis, & me dolor debilitat. i cluditque vocem.*

Eſſentiales orationis partes

Sunt Propoſitio & *Confirmatio*, ſine quibus orati eſſe nequit: reliquæ ad *bene eſſe* potius, quam *Eſſe* conferunt; e g. *Prudentia eſt omnium vi tutum præſtantiſſima*, propoſitio. *quippe reliquaru directrix*, Confirmatio. Item, *Beatus, qui Dei ſerv mandata, ipſius enim in æternum fruetur præſenti miſer, qui non ſervat, quippe apud inferos æterna patietur cruciatus.* Binas hic vides Propoſitiones cu ſuis confirmationibus

Eleganter in Confirmatione ſupprimas vocula cauſalem. *Nam*, vel *Quia*. *Non timebo.* Propoſitio *Deus eſt cuſtos.* Confirmatio : Pſ. 23.

Annotatiuncula.

Vulgarem hic deſcripſimus Diſpoſitionis metho dum. non raro tamen *Propoſitio* primum obtinet lo cum; *Exordium* ſecundum: *Confutatio* interdum cu

Con

Confirmatione commiſcetur; nonnunquam præcedit, præſertim, ubi duo ſunt Oratores, poſterior prioris argumenta ante diluere ſolet, quam ſua in medium proferat.

LIB. 3.

Elocutio, ſeu *Exornatio*

Aptis verbis ſingula efferre docet. Tria hic neceſſaria, Dictionis, ſeu ſtili *Puritas*, *Perſpicuitas*, & *Dignitas*.

Puritas

Requirit, ut nihil Barbaris, inuſitatis, aut obſcenis, efferatur vocibus: nec ſufficit, ut regulis Grammaticalibus conformis ſit oratio, ſed & doctiſſimorum virorum conſuetudini.

In quacunque lingua orationem habeas, ab alterius abſtinendum vocibus, niſi in uſum jam receptis & ſi de rebus obſcenis loqui ſit neceſſe, modeſtis uti oportet verbis per *Periphraſin*, ſeu circumlocutionem, de quo ſuo loco.

Perſpicuitas

Exigit, ut ſingula claris & perſpicuis efferamus vocibus; ut ſc. ſtilo utamur ad auditoris captum accommodato, quod magis eſt neceſſarium, quam exquiſita latinitas. Quid, quæſo, prodeſt proferre verba, quæ non intelligunt auditores, quorum efferuntur gratiâ. In magnó verſantur errore, qui ſolos putant facundos, qui grandi & magnifico utuntur ſtilo. *Multo* certe minus habendi, qui obſcuram, & Ænigmaticam loquendi formam affectant, & voces auditoris captum ſuperantes amant, & eligunt. Neſciunt iſti, neſciunt profecto, quid ſit oratoris munus: neſciunt, quis Rhetoricæ finis. Non diſertus hujuſmodi Rhetor, ſed barbarus habendus, ut ait Apoſtolus 1. Cor, 14. in.

Ovidius quoq; inter peregrinos exulans de se sic scribit:

Barbarus his ego sum, quia non intelligor ullis.

Vitanda igitur,

1 Oratio auditoris superans captum.

2 Phrasis duplicem admittens sensum.

Aiote, Æacida, Romanos vincere posse.

3 Concinna nimis loquendi forma.

4 Perturbatus vocum ordo,

5 Sermo nimium productus, quem auditoris memoria ægre assequi possit.

Dignitas

Postulat, ut oratio quibusdam quasi picturis, & floribus adornetur, his sc. verborum & sententiarum *Luminibus*, quæ Rhetores *Tropos*, & *Schemata* seu *figuras* appellant.

Tropus, i, e. Versio,

Vocis mutatio a propria significatione in alienam ut, *Herodes est vulpes*, i. e. callidus, seu versutus homo: *Petrus est asinus*, i. e. stupidus & indocilis.

Quatuor sunt Tropi primarij, *Metaphora*, *Metonymia*, *Synecdoche*, & *Ironia*.

Metaphora, i. e. Translatio

Est Tropus, quo vox a propria significatione in alienam ob similitudinem mutatur. ut patet ex præcedentibus exemplis, *Herodes est vulpes*, *Petrus asinus*. Herodes & vulpes in calliditate, Petrus & asinus stupiditate conveniunt, vel similes sunt, alter alteri.

Tria hic consideranda, significatio propria, aliena & similitudo.

Obiter notandum, omnium Troporum longe frequentissimum esse Metaphoram, reliquisq, luminis, & gra-

gratiæ plus addere orationi: hac pleni fere omnes libri Poetarum præcipue, inter quos supereminet *Georgii Buchanani* Psalmorum Paraphrasis, quam continuatam appellas *Allegoriam*: quot voces, tot fere Metaphoræ. Vid. Ipsum primi psalmi initium; voces *Tramite*, *Flexit*, *Contagio*, &c. Vid. ps. 18.

Mea vis, mea sola potentia, turris,
Præsidium, &c.

Metonymia, i. e. Transnominatio.

Tropus, quo causa ponitur pro effecto, subjectum pro Adjuncto, vel contra.

1 Causa efficiens pro effecto: *Lego Virgilium*, i. e. opera Virgilii.

2 Effectum pro efficiente: *Pallida mors*, quia homines pallidos efficit: item pro causa materiali, ut *homo est pulvis*, quippe ex pulvere creatus est.

3 Subjectum pro adjuncto. *Testis est Italia*, Cic. pro *Itali testes sunt*: sic. *Bibe hoc poculum*, i. e. vinum, quod est in poculo.

4 Adjunctum pro subjecto, *Vina Coronant* Virg. i. e. pocula, vel abacum floribus adornant.

Hinc vulgo Abstracta pro Concretis legas, i. e. hominum virtutes & vitia, aliasque ipsorum qualitates pro ipsis hominibus, ut apud Buch. ps. 1. *Impietas* pro *Impii*.

Non coram impietas maestos attollere vultus audebit.

Synecdoche, i. e. Comprehensio.

Tropus, quo totum ponitur pro parte, vel contra. ut, *Ventus* pro *Euro*. *puppis* pro *nave*, &c. fitque sex modis.

1 Genus, quod est totum universale, pro specie. ponitur, i. e. vox aliqua communis pro particulari; ut, *quadrupes* pro *equo*. & *equus* forte pro *Bucephalo*, Alexan-

Alexandri magni equo velociſſimo Sic *Urbs* pro *Roma*: *Poeta* pro *Virgilio*, de quo poſtea in *Antonomaſia*.

2 Contra, ſpecies pro genere: *Eurus*, vel quilibet alius particularis ventus pro vento in genere: ſic *parricida* pro *homicida*, &c.

3 Totum eſſentiale, i. e. & materia & forma pro ſola materia aut ſola forma uſurpatur, ut Jo. 20. 13 *Suſtulerunt Dominum*, i. e. Domini corpus. Luc. 23 43 Latronum alteri ait Chriſtus: *Tu hodie mecum eris in Paradiſo*: *Tu* i. e. anima tua. Hic totum pro forma, illic pro materia ponitur.

4 Contra, pars materialis, aut formalis pro toto eſſentiali, *Ferrum* pro *gladio*, aut *vultro*. Sic anima pro perſona. *Vos meæ chariſſimæ animæ, ſapiſſime ad me ſcribite*, ait ad filias ſuas. Hic forma, illic materia pro toto uſurpatur.

5 Totum integrale (ut loquuntur) pro parte, ut *totus fluvius* pro *exigua ejus parte*, Virg.

Aut Araxim Parthus bibat, aut Germania Tigrim.

6 Pars integralis pro toto, *Puppis* pro *nave*. *tectum*, aut *limen* pro *domo*, &c.

Huc referas, cum ſingularis pro plurali uſurpatur, ut, *Moles* pro *Molites*: *Cleandro cum pecunia ad conſcribendum militem miſſo*, Curt Lib. 3 Aut ubi rotundus numerus pro non multo majore, ut ſi dicas, *In eo prælio decem hominum millia deſiderabantur*, i.e. circiter eum numerum. Vel denique, ubi certus pro incerto, ut, *Millies audivi*. i e. ſæpiſſime.

Ironia, i. e. Diſſimulatio.

Tropus, quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur ut apud Ter. *Salve, bone vir*; *curaſti probe*: quum, qui dixerit, contrarium ſentiret.

In-

Intelligitur quis Ironice loqui, vel per ipsam vocum pronunciationem, vel ex gestu & vultu pronunciantis. vel denique ex ipsa re, de qua agitur.

Hactenus de Tropis primariis, sequuntur nonnullæ eorum species et Affectiones.

Antonomasia, i. e. Pronominatio,

Ubi proprium pro communi usurpatur, vel contrà. *Venus* aut *Helena*. pro formosa, *Irus* pro paupere, Crœsus pro divite Et contra *Apostolus* pro *Paulo*, Poeta pro *Virgilio*, &c de quo ante.

Liptote, seu litote, i. e. Extenuatio,

Cum minus dicitur, quam intelligitur, *Vir haud parum doctus*, i. e. valde. *Munera nec sperno*, i. e laudo. Utramque hanc tropi speciem facile ad Synecdochen reducas.

Complures aliæ a quibusdam hic traduntur, sed quæ adducunt exempla, ad Tropos referas. Sequuntur aliquot eorum affectiones.

Metalepsis, i, e. Transumptio,

Tropus multiplex in una voce, ut in hoc apud *Virg.* Versu, Ec. 1.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Per *Aristas* intelligunt *annos*; quo : per multas, & longas ambages sic colligunt, *Arista* pro *Spica* Synecdoche. pars pro toto. *Spica* pro *segete*, pars etiam pro toto, seges pro messe, metonymia, subjectum pro Adjuncto, *messis* pro *autumno*, contrà, Adjunctum pro subjecto, nam in autumno continetur messis. *autumnus* pro *anno*. synecdoche, pars pro toto.

Quid tot opus ambagibus? Post aliquot aristas, i. e. segetes. quod sine dubio idem hic, quod annos.

Abs re non erit, haud sane absurdam quorundam scriptorum de hisce vocibus recensere sententiam: A-

liquo

liquot aristas, inquiunt, nequaquam cum præpositione *Post*, sed verbo *mirabor* construendum, phrasin sic resolventes; *Ego videns mea regna* (longo tempore) *post* (hoc præsens tempus) *mirabor aristas* (esse) *aliquot*, i. e. raras, & a se invicem sparsas, nempe ob terram male cultam. Nec verba præcedentia huic repugnant sensui.

Allegoria, i. e. Diversiloquium,

Oratio ex multis Tropis contexta, *Sine Cerere. & Baccho friget Venus?* Ter. In vocibus *Ceres*, *Bacchus*, *Venus*, Metonymia, in *Friget* Metaphora.

Ænigma, i e. Obscuritas,

Ambigua, & obscura allegoria ad rem notam occultandam excogitata.

Dimidium lunæ, lunam, cum principe Romæ
Exigit a nobis totius conditor orbis.

Catachresis, i. e. Abusio.

Cum vox a propria significatione in alienam licentius transfertur, ut, *Stagnum* pro mari. Horatius Od. 4 lib. 4 abutitur seu abusive utitur Verbo *Equitare*, *Eurus per Siculas equitavit undas.* Est Metaphora, sed longe petita.

Hyperbole. i. e. Superjectio seu excessus.

Oratio superans fidem, *Minus nihilo*, *Testudine Tardior*.

Aliæ sunt Troporum Affectiones, quas consulto hic omittimus, utpote plus molestiæ quam utilitatis afferentes lectori, quales *Sarcasmus*, *Diasyrmus*, *Mycterismus*, *Charientismus*. de quibus videantur majores Rhetoricæ Tractatus.

Schema, seu *Figura*,

Cum oratio quovis alio modo, quam significationis inversione a vulgari consuetudine in meliorem mutatur: estque *Vocum* vel *rerum*.

Sche-

Schema vocum tollitur. ſi, vel ipſas voces, vel forte earum ſitum, aut ordinem mutes, ut apud Ter. *Inceptio eſt amentium, haud amantium*: ſi pro *amentium* ponas *inſanorum*. (quod eodem redit) nullum erit ſchema.

At Schema rerum manet, quibuſcunque utaris vocibus, ut poſtea patebit.

Vocum Schemata:

Ecliſpſis. i. e. Relictio, ſeu omiſſio.

Qua vox venuſte ſupprimitur: *Sed vos qui tandem*, Virg. ſc. *Eſtis. Cujum pecus*? Id. ſc. *Eſt*.

In Secunda Grammaticæ parte voces ſuppreſſas qua ad conſtructionem neceſſarias, hic orationem adornantes intellige.

Pleonaſmus. i. e. Redundantia.

Qua voces. licet non ſimpliciter neceſſariæ *Emphaſin* tamen quandam denotantes, orationi adduntur: *Hiſce oculis vidi*, cum pro certo affirmes.

Antanaclaſis. i. e. Refractio.

Qua vox, eadem appellatione, non ſignificatione uſurpatur: *Amari jucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari*.

Ploce, i. e. Flexus,

Cum vox uno in loco perſonam. alio qualitatem ſignificet. *Simia eſt Simia, etiam ſi aurea geſtet inſignia*: hic deformitatem. illic ipſum animal denotans.

Synonomia: i. e. Communio nominis:

Cum plures voces. idem ſignificantes, conjunguntur. *Non feram, non ſinam, non patiar*, Ter.

Exergaſia. i. e. Elaboratio.

Collectio ſententiarum idem ſignificantium. *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat*? *Cujus latus ille mucro petebat*? *Quis ſenſus era*t

erat armorum tuorum? Qua tua mens, oculi, ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas?

Anaphora i. e. Repetitio.

Eandem repetit vocem in ſententiarum principiis.

Te dulcis conjux, te ſola in littore ſecum,
Te veniente die, te diſcedente canebat.

Epiſtrophe, i. e. Converſio.

Eandem in fine repetit vocem. *Pœnos populus Romanus juſtitia vincit, armis vincit, liberalitate vincit.*

Symploce i. e. Complexio.

Utramque præcedentem figuram complectitur, eandem repetens tum in principio, tum fine. *Quis legem tulit?* Rullus. *Quis majorem populi partem ſuffragiis privavit?* Rullus. *Quis comitiis præfuit?* Idem Rullus. Cic.

Epanalepſis, i. e. Reſumptio.

Ejuſdem vocis repetitio in initio præcedentis. & fine ſequentis ſententiæ. *Tenetur aliquando: & in rebus tum maximis, tum manifeſtis tenetur.* Cic.

Anadiploſis: i. e. Reduplicatio.

Eandem repetit vocem in fine præcedentis. & initio ſequentis ſententiæ: ut apud Virg.

Sequitur pulcherrimus Aſtur:
Aſtur equo fidens:

Epizeuxis, i. e. Ingeminatio.

Voces geminat: *Parta, jam parta eſt ultio*, Sen. de Med. *Vidi enim, vidi penituſque perſpexi.* Cic.

Climax. i. e. Gradatio.

Superiora inferioribus eadem connectit voce: *Africano induſtria virtutem, virtus gloriam. Gloria æmulos comparavit* Vid. 2. Pet. Cap. 1. ver. 6. 7. 8:

Polyptoton. i. e. varie deſinens,

Eandem

Eandem vocem, variato casu, sæpius ponit; *Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas*, Cic.

Paregmenon, i. e. Adductio.

Repetitio vocum, quarum una ab altera derivatur; *Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris;*
Ingenioque faves, ingeniose, meo. Ovid.

Paronomasia, i. e. Agnominatio,

Parva vocis, sed magna rei mutatio. *Inceptio est amentium, haud amantium*, Ter. *Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur*, Sen.

Homoioteleuton, i. e. similiter desinens;

Quum plures voces in eadem sententia similiter desinunt, *Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint; sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint*, Cic.

Paræsis, i. e. Assessio,

Vocis antecedentis in sequente syllabas repetit; *Vi victa vis. O fortunatam natam me Consule, Romam*, Cic.

Rerum Schemata.

Prolepsis, i. e. Anticipatio,

Anticipat, & diluit objectiones, quas ab Adversario objici posse putamus. Innumeræ hujus figuræ exempla passim apud Authores occurrunt, præsertim in epistolis ad Lectores.

Summa hic in Oratore requiritur prudentia. Illi prævidendum, quæ tacita hominum sint judicia; quo propendeant animi; quid placeat, quid displiceat.

Gnome i. e. Sententia;

Cum Orator præclara aliqua utitur sententia; qualis hæc Sen. *Minime turpe est docere, quod honestum est discere.*

Auxesis, i. e. Incrementum;

Cum utimur voce rei magnitudinem excedente; *Sacrilegus pro fure.*

Tapinosis, i. e. Humiliatio;

Contrà, cum humiliore utimur voce, quam res ipsa postulat, *Homicida* pro *parricida*, aut *regicida*

Paralipsis, i. e. Præteritio,

Cum dicimus nos præterire, quod tamen in ipso transcursu dicitur; *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditatem matris expulsam matrimonio filiam*, Cic.

Periphrasis, i. e. Circumlocutio;

Cum pro una voce plures constituuntur; *Conditor orbis*, pro Deo. *Romanæ eloquentiæ parens*, pro *Cicerone*.

In multis Periphrasi uti necesse est; idque vel cum propria deest vox; Ut, *Pulvis sulphureus*; quia apud Romanos nil tale fuit: vel, cum nos latet, aut memoria excidit, aut forte non occurrit; cujus rei egregium apud Virgilium habemus exemplum.

In medio duo signa, Conon; & quis fuit alter, Descripsit radio totum qui gentibus orbem?

Honestatis etiam ergo utimur, cum unica vox honestas offenderet aures; Ut, *Dico me ire, quo soleo futuri.*

Postremo, elegantiæ interdum causa; sæpe & metri gratia hac figura utuntur Poetæ.

Incrementum,

Cum velut gradibus quibusdam ad summum pervenitur; *Facinus est vinctum civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?* Cic

Ecphonesis, i. e. Exclamatio;

Cum oratio Interjectionem habet expressam ad significandam rei magnitudinem; *O tempora! O mores!* Cic.

Aposiopesis

Aposiopesis. i. e. Reticentia;

Cum ita abrumpitur oratio, ut vix appareat, quid quis sit dicturus; *Ego te, furcifer, si vivo.* Ter. i. e. male multabo. vel tantum non occidam.

Prosopopœia, i. e. personæ fictio,

Cum absentem, mortuum, vel rem aliquam inanimatam ipsi alloquimur; vel eos nos alloquentes introducimus: hinc Ovidius suo ait Libro.

Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in urbem.

Erotema, i. e. Interrogatio.

Cum per Interrogationem efferuntur, quæ citra eam dici queunt; ut apud Virg. Ec. 3.

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis? *Metabasis,* i. e. Transitio,

Cum orationi quid inseritur, ut ab eo, quod diximus, ad illud, quod supercst, e mmode perveniamus; ut apud Virg

Hactenus arvorum cultus, & sidera cœli,
Nunc te, Bacche, canam Georg 2.

Figura hæc non tantum, orationi adfert perspicuitatem; sed & ad parandam attentionem maxime utilis est. *Apodioxis,* i. e. Rejectio;

Cum ab oratione quid vel simpliciter removetur, vel saltem in alium locum, aut tempus rejicitur; *Sed de Lucullo dicam alio loco,* Cic.

Hactenus de Tropis, & Figuris; restat, ut de Compositione, & Stilo aliquid dicatur

Compositio

Idonea verborum & sententiarum structura.

Plurima hic a quibusdam traduntur Præcepta: nos pauca tantum attingemus.

1. Imprimis cura adhibenda, ne literarum concursu vel hiet, vel aspera, & dura videatur oratio. Hinc,

est, quod Veteres in vocum compositione magnam fecerint literarum mutationem; *Aufero*, non *Abfero*, *Arripio*, non *Adrapio* dicendum; fic enim turpem faceres hiatum Pariter, *A patre*, non *Ab patre*; quia & *B* & *P* literæ sunt labiales: *Ab patre*; quasi magna cum difficultate os aperire possis.

2 Cavendum, ne ultima præcedentis vocis, & prima sequentis syllaba turpe quid efficiant: hinc ipsum Virgilium quidam accusare audent, quod dicat, *Dona ca castra*, & *Caca caligine*; inde enim *Caca*.

3 Curandum etiam, ut, quod natura, vel dignitate præstantius est, præcedat: hinc, *Viri & fœminæ Ortus & occasus*, &c. Subinde tamen aliter videas.

4 Quem in oratione situm & ordinem voces obtineant, ex optimis Authoribus colligendum relinquimus. Hic tantum innuimus, Verbum sententiam vulgo claudere, & aliquid inter substantivum & Adjectivum elegante interjici: Utrumque in hac apud Ciceronem sententia videas, *Aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam.*

Qui hujusmodi delectatur Præceptiunculis, adeat *Fr. Sylvii Progymnasmata*; vel *Ja. Publicii Institut.* vel *Nicolai Caussini Paral.* aut *Vossij. Rhet. Tract. Maj.*

Stilus.

Magnificus, humilis, vel mediocris.

Magnifico utendum, cum de rebus magnis est sermo; sc. de Deo, republica, rege, prælio insigni, &c. Huc pertinent Tropi, & Schemata, & elegans vocum structura.

Humili, si de rebus exiguis habeatur sermo; de paupere casa, exiguo fluvio, &c. Hic rarior Troporum & Schematum usus, nec tam sedula vocum structura.

M

Mediocris inter utrumque versans, nec nimis assurgit, ne idem cum magnifico videatur, nec humi serpit, ne cum tenui confundatur.

Stilus æquabilis, seu sibi ubique conformis, longe optimus habetur. Quid absurdius, quam nunc sublime in cœlum volare, nunc turpiter humi serpere?

Alia Stili divisio.

Laconicus, brevis & concinna loquendi forma.
Asiaticus, copiosa.
Atticus, ad rem accommodata.

LIB. 4.

Pronunciatio

Commoda orationis enunciatio. Duo hic consideranda, *Vox* & *Corporis gestus*; hic oculos, illa aures afficit.

Vox.

1 Sit clara, non tamen acuta nimis, & sonora; ne forte *Clamator* potius, quam *Orator* dicaris.

2 Varia prout res postulat; si flebilis, & tristis, illi conformis esto. Nunc altiore, nunc submissiore utendum. In Exordio submissa, inde gradatim assurgendum: In Propositione, plana, & aperta: In Confirmatione & Confutatione, acriore: in Epilogo, excitata, quasi parta jam victoria.

3 Articulate singula efferenda; Emphasin habentia, emphatice, & cum majestate.

4 Quantitas diligenter observanda; nec accentuum ratio negligenda.

5 Interpunctiones imprimis notandæ, & mora singulis debita, adhibenda: In Admirationis, & Interrogationis punctis vox nonnihil varianda: Parenthesi inclusa, alienâ quasi voce pronuncianda.

Hæc, & similia viva melius docentur voce.

Geſtus.

1 Corporis ſtatus ſit erectus.

2 Vultus, pro rerum natura, lætus, triſtis, blandus, minax, erectus, demiſſus.

3 Cervice utendum recta, non tamen rigida.

4 Humeri non allevandi.

5 Brachia non projicienda: in vehemente quidem affectu brachio dextro in latus dextrum expatiari licet.

6 Manum dextram, a ſiniſtro interdum incipientem latere, in dextro deponas.

7 Femur, aut pectus ferire ſcenicum habeto.

8 Pedes immobiles ſunto.

Admonitio.

Præcepta hæc oratorem publice in ſuggeſto, aut pro roſtris declamantem præcipue ſpectant. Sub quolibet quidem corporis habitu Rhetorem agere poſſis. Cubans, ſedens, ambulans, verba facias. *Alexander Magnus* aciei obequitans milites alloquitur; Curt. lib. 3.

Sciendum præterea, etiam publice, alijs alias diverſum eſſe corporis geſtum: qui nunc arridet, olim forte diſplicebat. Si commodum & decentem habere velis; virum aliquem, cujus in publico geſtus ab omnibus, vel ſaltem pleriſque laudatur, imitandum tibi eligas. Si quid tamen reprehenſu in illo dignum advertas, (nullus enim ex omni parte beatus) fugiendum. Hoc ſolummodo adjiciendum hic puto; *Ne quid nimium affectes*, ſive in loquendi forma, ſeu ſtilo, ſive in voce, ſeu tono; ſive corporis geſtu: omnis enim affectatio, & ſingularitas ingrata, & odioſa eſt.

Appendix.

In quarta præcipue Rhetoricæ parte ſumma elucet oratoris dignitas; adeo ut, qui hac bene ſit inſtructus, quamvis mediocriter tantum reliquis imbutus, maximos ſuperare exiſtimetur oratores. Et contra, licet elegans

ad-

admodum, & concinna videatur oratio, niſi bene pronuncietur, flacceſcit, nihilq; auditoribus adfert delectationis. Hinc eſt, quod *Martialis* nebulonem quendam, elegantes male pronunciantem Verſus, ſic reprehendat;

Quem recitas, meus eſt, O Fidentine, libellum;
Sed male cum recitas, incipit eſſe tuus.

Negandum tamen non eſt optimos quoſdam extitiſſe oratores, qui hac laborarint parte. *Iſocratem* aiunt ex ingenii timiditate in publicum prodire non auſum, licet complures elegantiſſimas conſcripſerit orationes.

Omitto, haud paucos lingua eſſe adeo balbutiente, aliiſque laborare naturæ vitiis, ut hoc oratoris munere, licet norint, defungi queant nunquam.

DE ANALYSI

TRACTATIUNCULA.

In Orationis Analyſi, ſeu Reſolutione *Conſideranda,*

1 QUis Autoris ſcopus.

2 Quale Thema; ſimplex, an Compoſitum; ſpeculativum, an practicum; finitum, an infinitum: num perſona, factum, an res.

3 Ad quod cauſarum genus referendum; Demonſtrativum, Deliberativum, an judiciale; vel num forte mixtum, partim in uno, partem alio contentum.

4 In quo conſiſtat controverſiæ ſtatus; *Conjecturalis, finitivus, Qualitatis, an Quantitatis.*

5 Quot, & quas oratio habeat partes; quæ, & cur deſint.

6 Singulæ ſeparatim diſcutiendæ.

7. Unde

7 Unde Exordium petatur; an ab oratore, auditore, subjecto, &c. Num auditoris benevolentiam, an attentionem, vel utramq; captet; & quibus id fiat argumentis.

8 Quibus propositio contineatur verbis; an thema in partes dividatur, quot, & quæ sint, cur hæc illi præponatur.

9 In confirmatione, qualia sint argumenta, artificialia, an inartificialia: si artificialia, unde petantur; a locis Dialecticæ cum Rhetorica communibus, an huic propriis: si a communibus; a quibus, an a causa, effecto, subjecto, adjuncto, &c. si a causa, aqua; num ab efficiente, materia, forma, fine: si ab efficiente, an a sola, socia, principali, &c. si a locis Rhetoricæ propriis, an ab honesto, utili, facili &c. Quod si argumentum sit inartificiale, num testimonium divinum, an humanum: si illud; verbum Dei, an Ethnicorum tantum oracula: si hoc; scriptum, an fama vulgaris; & utrumq; antiquorum, an modernorum; paucorum, an plurimorum; vulgi, an sapientum; &c. Postremo, num argumentum sit rationale, i. e. a ratione deductum, an ab affectibus, & moribus, idque Dicentis vel audientis, &c.

10 In confutatione, quæ adversarii sint argumenta; quomodo solvantur, an consequentiam negando, retorquendo. &c.

11 In epilogo, num Anacephalæosis, seu præcipuorum argumentorum recapitulatio, numqua affectuum commotio; & quis excitetur, Misericordia, Indignatio, &c.

12 An Autor quid a Themate alienum interserat, & a proposito digrediatur: & ad quid, & cur fiat digressio; an in laudem alicujus viri, loci, &c. Et quibus id præstet argumentis.

Complura sunt alia notatu haud indigna, quæ *Circumstantia* potius, quam essentiales resolutionis partes appellandæ; cujusmodi hæ Quæstiunculæ, *Quis*, & *quali*

his orationis author; Quæ scribendi occasio, Quando, Ubi, ad quem Scripta.

Postremo, sciendum aliam esse Analysin Grammaticam, Poeticam, Mythologicam; Rhetoricam, Dialecticam seu Logicam.

Grammatica

Considerat ea sola, quæ ad Grammaticen spectant; vocum sc. Etymologiam, Syntaxin, Orthographiam. Abstinendum hic (si coram doctis, nec puerorum gratiâ fiat) a puerilibus quæstiunculis, & rebus nauci. Siquid in syntaxi occurrat singulare, & solenne in medium proferas; cujusmodi est Græca, aut Poetica constructio; aut minus usitata loquendi forma; seu sententia notatu digna, aut Adagium. *Hic* etiam per Periphrasin, aut Paraphrasin difficiliora saltem dilucidanda.

Poetica

Discutit ad Poesin pertinentia; Carminis sc. genus, scandendi modum, &c. *Hic* etiam advertendum, si quid singulare, & minus usitatum eveniat; num licentia utatur Poeta, vel in constructione, vel quantitate & cur id fiat. Ad Grammaticam attinere hæc forsan censeas quia Prosodia in Grammatica continetur. Per nos licebit.

Mythologica

Declarat, quæ sint Poetarum fictiones, & fabulæ; unde originem duxerint; quæ vera & genuina historia: quæ moralitas, &c,

Rhetorica,

Præter superius dicta; ostendit, qui præcipui sint, Tropi, & schemata; si *Metaphora*, in quo consistat similitudo, &c. Si *Schema*, num vocis, an rei. Item, quis authoris stilus; magnificus, tenuis, an mediocris; cur hoc, illo non utatur.

Dialectica

Dialectica ſeu *Logica*

Demonſtrat pariter, ut *Rhetorica*, ex quibus Locis eruantur argumenta, & quomodo ad formam ſyllogiſticam reduciqueant, &c. De quo vid. *Hereboord* in *Burgerſdicium*; & alios.

Admonitio.

Abunde dictum de Reſolutione, modo Compoſitionis Præcepta pulchre calleas; quæ ſi neſcis, quanvis tractatum centuplo majorem perlegeres, oleum & operam perdas. Idem prorſus hic artificium, quod in artibus pleriſque mechanicis, Horologica, Veſtiaria, &c. Qui in horologio componendo bene verſatus eſt, ſingulas ejus partes a ſe invicem ſeponere norit. Pariter hic ſe res habet.

FINIS.